



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. VIII. Sanctos & Dei seruos non solum tentationibus tristabantur, sed potius ob commodum, quod inde sentiebant, gaudebant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

& proponis illum postea vitare, magnum lucratis premium, & quoties quis laborat mei amore defectus suos superare, tam me honorat, quam quis miles suum Regem, dum pro illo viriliter contra hostes pugnat, & illos vincere conatur.

CAPVT VIII.

Sanctos & Dei seruos non solum tentationibus tristabantur, sed potius ob commodum, quod inde sentiebant, gaudebant.

Tentatio copiosa nobis gaudij materia est.

Iacob. 1. 2.

Rom. 5. 3.

Gregor. li. 8. mor. c. 10. Job. 7. 4.

OB magna hæc bona & comoda ex tentationibus oriunda, sancti & serui Dei non solum non tristabantur, & potius ob eas gaudebant, secundum illud sancti Apostoli Iacobi: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.* Et sanctus Apostolus Paulus ad Romanos scribens, ait: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.*

Eodem modo exponit & sanctus Gregorius illud Iobi: *Si dormiero, dicam, quando consurgam? Et rursus expectabo vesperam.* Per vesperam, quam expectabat, intelligit sanctus Gregorius tentationem, & notat illam à Sancto, vt bonum & vtile quid, expetitam. *Expectamus enim prospera, & formidamus aduersa.* Quia vero S. Iobus ducebat tentationem bonum quid & vtile esse, hinc se illam dicit expectare.

Doroth. doct. 13.

Ad hoc propositum allegat sanctus Dorothæus exemplum illud, quod in Prato spirituali legitur de quodam sanctorum seniorum Patrum discipulo, qui à fornicationis spiritu impugnabatur, ipseque diuina gratia aditus viriliter resistebat malis & turpibus cogitationibus, & vt se mortificaret, ieiunabat, diu orabat, & opere manuum suarum corpus affligebat. Videns sanctus eius magister

eum in hac tribulatione, dixit: Si petis, fili mi, rogabo Deum, vt hac te pugna liberet. Respondit discipulus: Quamuis verum sit, Pater, me in magnis esse angustijs; tamen sentio, quod huius tentationis causa plus proficio, nam sæpius ad Deum confugio oratione, mortificatione & pœnitentia. Ideoque hoc vnum te volo rogatum, Deum ores, vt mihi patientiam & fortitudinẽ largiatur, ad hanc tribulationem tolerandam & vincendam pure & sine reprehensione aliqua. Valde sanctus senex hac responsione gauisus est, & dixit: Nunc tandem aduerto, te in perfectionis via progredi. Nam dum quis ab aliquo vitio impugnatur, & ille strenue resistere conatur; humilis, sollicitus & anxius est, & his afflictionibus & tribulationibus paulatim anima purgatur & mundatur, donec ad magnam puritatem & perfectionem perueniat. Et de alio sancto monacho refert Dorothæus, quod ob certam quandam illi à Deo ademptam tentationem tristatus fuerit, & amare flexus Deo dixerit: Domine eram ego dignus tui amore aliquanto tempore affligi & vexari?

Sanctus Ioannes Climachus refert de sancto Ephrem, quod videns se in altissima pace & tranquillitate positum, quam ipse cœlum terrenum & impassibilitatem nominabat, Deum rogauerit, vt veteres pugnas tentationem redderet & renouaret, ne occasionem & materiam merendi & coronam conficiendi perderet.

Et de alio sancto monacho narrat Paladius, quod quodam tempore Abbatem Pastorem adierit, & illi dixerit: Iam Deus pugnas abstulit, & pacem mihi dedit, quod tale quid eum rogauerim. Respondit Pastor: Redi ad Deum, & roga, vt pugnas tuas renouet, negligens euadas: Deum adijt, & dicebat, quod eum Pastor monnerat. Dicebat Deus, bene suasisse Pastorem, & suas illi tentationes reddidit. In huius robur & confirmationem, scimus sanctum Apostolum Paulum, dum peteret à tentatione liberari, non fuisse exauditum, sed à Deo

Deo fuisse responsum : Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.

CAPVT IX.

In tentationibus hominem erudiri,
non solum sibi, sed &
aliis.

ALIVD eximium & magni ponderis accommodum tentationes adferunt, ijs necessarium, qui proximis studere nituntur. Estque, quod in illis anima non solum sibi sed & alijs docetur; in se enim experitur, quod post illi notandum in his, quos tractare & dirigere debet. Qui in spirituali militia se exercet, & attente considerat introitum & exitum Diaboli, nã ille perfectus vitæ spiritualis magister euadit, ad animas regendas: nam vultus & experientia magister optimus: ideoque dici solet, neminem esse meliorem chirurgum, quam qui multa vulnera accepit. Qui mundum lustrando obcurrunt, sunt practici prouidi & experti.

Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: idem & in tentationibus euenit; ideoque dicebat Sapiens: *Vir in multis experientia cogitabit multa, qui non est expertus, pauca recognoscat.* Qui practicus & exercitatus est in hac spirituali militia, bonus erit pastor. Hæc ergo causa est, quod Deus velit nos tentationes habere, vt in hoc spirituali magisterio docti & habiles euadamus, vt post animas ducere & dirigere queamus.

Ad planiorem huius expositionem, vult Deus nos tentari, vt videntes proximum tentatum & afflictum, ei condolere queamus. Vt enim in corporalibus muleum prodest quem ægitudine & malam dispositionem habuisse, vt post alijs eisdem morbis afflictis compati possit, & eis cum charitate auxilio esse; idem & in spiritualibus locum habet.

De quodam monacho refert Cassianus, iuvene & religioso, qui valde ab inhonestis tentationibus exagitabatur, &

alium senioremonachum adijt, & aperte ei omnes has tentationes & malos motus, quos tolerabat, exposuit, credens se eius oratione & consilio aliquod solamen & remedium inuenturum. Sed contrarium plane ei contigit, nam hic solum annis, sed non prudentia & discretione senex erat, & iuuenis tentationibus intellectis, cœpit mirari & obstupescere, & illum arguere austeris & asperis verbis, illum infelicem & miserum nominans, & monachi nomine indignum dicens, quod tales tentationes admitteret, & tandem illum suis rigidis reprehensionibus adeo turbatur, vt monachus procuratione maiori afflictus vulnere abiret, & tantam in tristitiam, & desperationem incideret, vt iam non de tentationis suæ remedio, sed de consensu cogitaret, & viam ciuitatem versus ingrederetur, hac cum resolutione & intentione. Forte fortuna in via obuim habuit Abbatem Apollinem, sanctissimum & expertissimum virum: hic ex vultu aduertit, eum graui aliqua tentatione laborare, & cœpit magna benignitate expiscari, quid sentiret? quæque turbationis & tristitiæ esset causa, quam vultu & exterius probebat. Iuuenis adeo à cogitationibus suis victus, & profunda imaginatione tam erat absorptus, vt verbum ei non redderet. Senior tantam esse tristitiam & turbationem videns, vt eum loqui non permitteret, & quod causam celare conaretur, multa suauitate & amore ei importunior fit, vt eloqueretur. Victus tandem eius importunitate monachus, candide ait: Cum non possit tam religiose carnis motus & tentationes coercere, vt senex ille exigebat, se decreuisse monasterium relinquere, & ad sæculum redire, & vxorem ducere. Tunc sanctus senex Apollo cœpit illum consolari & animum addere, dicens, & se quotidie huiusmodi tentationibus vexari: ideoque illi iniunctum videri debere, nec diffidendum esse: talia enim non tam labore nostro, quam Dei gratia & misericordia vinci & superari. Tandem ab illo petiit, vt vel vnum diem expectet,